

fectus quatuor vulneribus acceptis : neque tamen periit . In Punicis etiam littoribus Bernardus Ciconia ejusdem generis navibus a republica præfectus Perucam piratam ingenio magis quam viribus expugnavit . Erat uterque ad Tuneta in portu : atque ille navem onerariam permagnam habens , ut exirent Veneti , expectabat , illos in mari aggressurus : seque id conaturum , palam antea præ se tulerat , multa minaciter oblocutus . Interim Dalmatæ , qui sub imperio reipublicæ degebant , navem non magnam eundem in portum adducunt . Id ut est Ciconiæ nuntiatum , nocte ex suis navibus homines complures in illam imponit , navesque aptari ad pugnam imperat . Ea re tametsi furtim fiebat , tamen a piratis animadversa , confestim Peruca relictis ob celeritatem anchoris e portu se se eripit . Ciconia illum cum triremibus sequitur : tranquillitateque oborta , remigum labore affectus , oppugnansque cominus , ubi propter navis altitudinem nihil ferme virtute militum proficit , & suos facile vulnerari de superiore loco videt , fabros in navis scapham jubet descendere , eosque suæ puppis pluteis armamentisque contegens , ex piratæ navi stuppas inter tigna constipatas paulum sub aqua extrahere imperat . Ea re hostibus imprudentibus effecta , implenteque se navi aqua , Peruca illi deditur . Nostro autem in mari Andreas Lauredanus , navis onerariæ bellicæ a Senatu præfectus , magna vir virtute , cum intellexisset a Crotoniatis Petrum Cantabrum piratam recipi , qui reipublicæ hominibus damna intulisset , eumque ad Oricellam esse cum navibus longis quatuor , secum naviculas , quas appellant *Gripos* , quæ commeatum advexerant , duas ducens , eo proficiscitur : jactisque procul anchoris , noctem opperiens in suæ navis scaphis duabus atque in *Gripis* milites trecentos imposuit , imperans ut ante lucem egressi , turrim ipso in littore , qua in turri esse Cantabrum intellexerat , circumfunderentur , ne is efugere posset , eamque expugnare conarentur . Missi , quod iter erat longius , orto jam sole in littus descenderunt . Cantaber ubi naves advenientes e longinquo vidit , co-

H. Bembi.

I

Ætis

1497

*Bernardus
Ciconia Perucam
piratam capit.*

*Andreas
Lauredanus
Petri Cantabri,
pirata, classem
incendit.*